

SPIRITUM SANCTUM
EX
VETERI FOEDERE
TYPICUM,

Solemnibus hisce Pentecostalibus,

Studiosæ in GYMNASIO PATRIO juventuti,
maximo pietatis ardore perpendendum,
tenui sibiit proluisione

M. HENNINGUS WITTE,
ELOQ. ET HIST. P. P.

R I G Æ,

Ex Officina Nölleriana.



Xoritur nunc denuò, Clementissimi
Numinis benignitate, dies summis lau-
dibus ac religione debitâ, in cœtu fide-
lium, per universum terrarum orbem
celebrandus. Pentecoste, festum non
Judaicæ minus synagogæ, quàm Christianæ solemne
Ecclesiæ, hodie recurrit. Recutiti quippe Judæi sep-
tem hebdomadarum, seu, quod idem est, quinquagesimæ lucis ferias, quas *πεντηκοστήν* appellant Græci, singulari cultu peragebant. A postridie Paschatos, seu secundo Azymorum, prout Josephus exponit pluribus, calculum ponebant, promulgationem legis divinæ quinquagesimò post maris rubri transitum die factam, in memoriam sibi revocantes. Huic æquè ac solemnitati Paschatos & Tabernaculorum in urbe Hierosolyma omnes omninò interesse ex lege Hebræi tenebantur. Accessit & alia ratio, quod Paschali ceperint tempore falcem in segetem mittere, messisque primitias, novarum nempe frugum manipulum, rerum omnium Datori consecrârint; Pentecostali autem eandem rursus messem, postquam ex omnibus habitaculis duos è recenti confectos frumento panes grati obtulissent, claudere fuerint soliti. Egregiè augustus ille Hipponensium Præsul, Augustinus, institutionem hanc à suis deduxit incunabulis: Dies, inquit, quinquagesimus in scripturis commendatur, non tantum in Evangelio, quia tunc Spiritus Sanctus advenit,

sed in veteribus etiam libris. Nam & ibi, posteaquam Pascha occisio agnoscere celebraverunt, quinquaginta numerantur usque ad diem, quod lex data est in monte Sina famulo Dei Mosi, digito Dei scripta. In libris autem Evangelii apertissime declaratur, digitum Dei significare Spiritum Sanctum. Quod & verba faciunt preclarissimi Episcopi ac Martyris, Cypriani, quae huc afferre operae erit pretium. Celebramus, ait, tam nos, quam Judaei, quinquagesimum diem, sed illi in typo, nos in veritate, illi in terrore, nos in amore. Pentecosten enim peragentes commemoramus, quae olim sub Mose in V. T. sunt acta, & quae sub Christo facta. Post ejus in caelos ascensionem Spiritus Sanctus visibili modo super Apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris seculi universitatem fidelium unius esse labii voluit. Ex quibus satis superque patescit, utramque Pentecosten contendere invicem compararique quam rectissime posse. Utenim lex quondam in Arabia deserto, audientibus & spectantibus multis hominum millibus promulgata; ita Sanctissimus Spiritus, qui legem divinam non lapideis, sed carnis cordis nostri inscripsit tabulis, eodem quoque die, quod infinita hominum multitudo Hierosolymam confluebat, effusus est. Illic, cum Moses in montem ascendit, quemadmodum aurei oris Doctor, Chrysostomus, loquitur, lex descendit; hic, ubi Christus in caelum ascendit, Spiritus Sancti lux nobis advenit.

Illic

Illic ignis montem implevit, ideo & hodie in igneis
linguis Spiritus apparuit. Illic, cùm lex daretur, vo-
ces tubæ sonabant, & hodie factus est repentè de cœ-
lo sonitus, tanquam impetu venientis Spiritus validi.
Illic, post triduanam populi purgationem, lex propo-
sita, nunc autem, post triduanam Christi resurrectio-
nem, Spiritus Sanctus nobis donatus est. In hac verò
mirabili congruentia illud certè Divo Augustino plu-
rimùm distare videbatur, quod ibi accedere ad locum,
ubi lex divulgabatur, horrendo prohiberetur terrore;
hîc autem in eos supervenerit Spiritus Sanctus, qui
gratissimum hospitem hunc avidè præstolantes in u-
num fuerant congregati. In tabellis ibi saxeis, hîc in
cordibus humanis Pneuma divinum operatum est.
Idem fermè regius indicat Vates, quando ignem ter-
ribilem, in monte Sina flagrantem, cum dissectis atque
igneis, in monte Sion apparentibus, contulit linguis,
altè exclamans: Deus cùm egredereris ante populum,
tuum, cùm per solitudinem iter faceres, terra tremebat,
& cœli stillabant à facie Dei, mons ille Sina à facie Dei
Israël; nunc verò imbrem benignum effundis su-
per hereditatem tuam, &, quod languet, confirmâsti.
Non equidem nobis in præsentî animus est, typos &
præludia, quibus summus ille idemque æternus Dei
Spiritus in veteri adumbratus cœdere, ex sacro prolixè
eruerè codice; illustriora tamen non nulla vaticinia,
hieroglyphica atq; symbola tacitò præterire pede ne-
quaquã poterimus. Non operosâ utiq; indiget explica-

tionem, quis, sub Schemate alicujus Columbæ, cessante
olim cataclysmo, ramum oleæ, reforescentis mundi
imaginem, in arcam intulerit, quum illius adhuc mu-
neris sit, folium pacis, reconciliationis nostræ cum
Deo tesseram, producere. Eminentissimus Dei Can-
cellarius, Moses, nobis recenset, exstructum operuisse
tabernaculum de die nubem, à vespera autem usque ad
mane ignis speciem. Quid si ædificium istud cum
Ecclesia, à Christo fundata, comparemus, quam pari
modo operit nubes Spiritus Sancti, gratiosè eam do-
nis suis implendo? Hæc nubes sola sine nebulis & nu-
bilis toties edit tonitru, quoties à peccato nos abstra-
hit, tandemque in solatii pluviam se diffundit. Nu-
bibus quibusvis excelsior censendus meretur Elias, qui,
quum, Achabi impii Regis tempore, magna terram
premeret sterilitas, tribusque annis continuis nulla cælo
pluvia decidisset, montem ascendit, ut aliquam ibidem
cæli observaret mutationem. Et ecce! mox ventus
exsurgit vehemens, pluviamque grandem superindu-
cit, quâ tellus denuò irrigatur, ut gramina & fruges in-
usum hominum atque pecudum emitteret. Non
tres, sed vel ultra ter mille annos, cælum gratiæ quon-
dam fuerat occlusum, adeò ut nullæ benignitatis E-
vangelicæ pluvix inde destillâssent, tandem autem
verus noster Elias, Christus, poli superans altitudinem,
gratiosam sanctissimi Flaminis pluviam, sub ingenti &
admirando procuravit flatu, simulque cælestium do-
norum

norum exuberantiâ Apostolos implevit. Idem ille in
acerrimo cum Baalitis certamine, cum quaereretur;
quis verus Israëlitis existeret Deus, ignem de cœlo de-
duxit, qui aram victimamque totam consumpsit. E-
jus hodie typus adimpletur, dum Christus cœlum re-
petens ignem sacri Spiritus in congregatos effudit fide-
les, qui, quod in iisdem inveniret sordidum, absum-
meret, inquinatum, combureret, & vitio commaculat-
um, redintegraret. Thesbiten excipit ejus discipulus
inque munere Prophetico successor, Eliseus, qui ad
ædes viduæ se contulit pauperulæ, ut oleum confice-
ret, illaque alieno liberaretur ære. Viduæ huic non in-
justè assimilari potest primitiva Novi Testamenti Ec-
clesia, variis tum obnoxia oppressionibus, nec minus
Eliseo Spiritus Sanctus, siquidem pretiosum fidei ole-
um die Pentecostali in tot credentium pectora effudit,
tantaque copiâ domum Apostolorum stipavit, ut tota
Judæa vasorum satis suppeditare nequiverit, sed à vic-
inis quoque, seu gentibus adscitis, salutaris olei recepta-
cula petere necessum habuerit. Salomon, Regum
quotquot unquam inclaruerunt sapientiâ illustri-
mus, egregium excitavit fanum, eoque absolutô, ignis
de cœlo precibus illapsus devoravit holocausta, do-
mumque implevit. Major omninò Salomone Chri-
stus templum Ecclesiæ suâ reparaverat morte, arden-
terque in crucis oraverat ara, tandem autem, consum-
matô pulcherrimi ædificii hujus mystici opere, Spiritus
San-

Sanctus ignea descendit formâ, discipulos, dicata DEO libamina, ignibus imposuit, suaque majestate universam occupavit Hierosolymam. Quid? quod JEHOVA fidelibus, sub antiquo fœdere degentibus, effusionem sanctissimi Flaminis aliquando futuram clarissimè prædixerit perque servum sibi fidelem & sacro purgatum carbone, Esaiam, sic fari voluerit: Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Quibus innuit verbis, credentes sitientibus, Christi nempe justitiam, venustè assimilari, & flumina aquarum de Sp. Sancto rectè exponi. Sicut enim aqua terram reddit fructiferam, dura emollit, impura mundat, ac sitim extinguit; ita & Altissimi Spiritus suos edit fructus merè divinos, dū cor molle gignit & carneum, nos, ceu aquâ purâ, fide purificat, sitimque extinguit spiritualem, ac mirificè reficit. Neque minus Ezechielem, magnorum mysteriorum atq; spectaculorum ἐπιτήνην & interpretem, in hac decet vaticinantiū classe collocare, siquidem apud ipsum, jussu Domini, spiritus advenit, à quatuor ventis arida comovens ossa, ut reviviscerent ac invicem congregarentur. Typico isto docemur emblemate, quod membra nostra nil nisi ossa sint arida, gravia & inutilia, nisi benignò divini Pneumatis flatu moveantur, veramq; nanciscantur vitam. Ex hisce igitur aliisq; utriusque pacti tabulis, ó mei, quorū causâ hæc consigno, luculenter agnosceatis, quod longè majorem hodie Pentecosten fumo cum júbilo peragendi, quàm olim judæi, habeatis rationē. Ibi quippe plena erant omnia mœroris & iræ; hîc amoris atq; gratiæ, ibi Deus in fulgure & tonitru horribili apparebat; hîc Spiritus Sanctus in vento & igne amicabile; ibi fœdus cum solis feriebat Judæis; hîc cū Judæis pariter ac Gentibus fœderalis renovatur gratia. Et rectius hæc omninò intelligetis, si, ceu par est, & hujus tēporis exigit solemnitatis, templū frequenteris, quò ipsius Spiritus Sancti templum fiat. Valete omnes, & hoc agite. Dabam Rigæ, Pentecostes festo, anni clb Ibc XXCV.